

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllii Ciceronis|| Epistolae Familiares.||

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1565

Liber I.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-724041](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-724041)

I

CICERONIS EPISTOLARVM

AD LENTVLVM, LIBER I.

ARGVMENTVM EPISTOLAE. ●

P. Cornelio Lentulo Spintheri, gentis patriciae, Ciliciam proconsulari imperio administranti, scribit Cicero de officio suo erga ipsum, in curanda regis Ptolemaei reductione: deinde, quia rem non perficiat, excusationem affert. est autem excusatio multiplex; & quia rex ipse a Pompeio restitui cupiat; & quia Pompeius idem cupere uideatur; & quia consulares totam rem odio habeant; postremo, quia ipse, cum Lentulo debeat, auctoritatis in causa regia non satis habeat.

M. Cicero s. d. P. Lentulo procos.

EGO, omni officio, ac potius pietate erga te, ceteris satisfacio omnibus, mihi ipse numquam satisfacio. tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum; ut, quoniam tu, nisi perfecta re, de me non conquiesci, ego, quia non idem in tua causa efficio, uitam mihi esse acerbam putem. In causa haec sunt. Hammónius, regis legatus, aperte pecunia nos oppugnat. res agitur per eosdem creditores, per quos, cum tu aderas, agebatur. regis causa, si qui sunt, qui uelint, qui pauci sunt; omnes rem ad Pompeium deferri uolunt. senatus religionis calumniam, non religione, sed maleuolentia, & illius regiae largitionis inuidia, comprobatur. Pompeium & hortari, & orare, & iam liberius accusare, & monere, ut magnam infamiam fugiat, non desistimus: sed plane nec pre-

B cibus

pietas erga o-
prime meritos,
non solum erga
Deum, & paren-
tes. epistola 9.
huius libri, in
principio, & 6.
lib. 2.

excusatio rei
non perfecta.

a quibus pecu-
niam & Ptole-
maeus, et Rabi-
rius sumpserat,
ut Ptolemaeo
daret.

ne corruptus a
rege uideatur.

eria coniungi:
quia nec elo-
quentia nec gra-
uitate multum
posset, nec sine
studio graui-
tas.
Ere erat ex ijs,
qui regē resti-
tui volebant

parendum esse
religioni, quae
detabat regem
cum exercitu
reduci.

uide Festum.

Itauricum, con-
sulem, & triu-
phalem.

opinor, tribuni
hoc enim de
Hypsæo tradit
Dio lib. 39.

cibus nostris, nec admonitionibus reliquit locum.
nam cum in sermone quotidiano, tum in senatu
palam sic egit causam tuam, ut neque eloquen-
tia maiore quisquam, neque grauitate, nec stu-
did; nec contentione agere potuerit, cum summa
iustificatione tuorum in se officiorum, et amoris er-
ga te sui. *M. Cræcellinum* tibi esse iratum scis. is,
hac regia causa excepta, ceteris in rebus se acer-
rimum tui defensorem fore ostendit. quod dat,
accipimus: quod instituit referre de religione, et
saepe iam reuulit, ab eo deduci non potest. Res an-
te idus acta sic est: nam haec idibus mane scripsi.
Hortensii, & mea, & *Luculli* sententia cedit re-
ligioni de exercitu: (teneri enim res aliter non
potest) sed ex illo *S. C.* quod te referente, factum
est, tibi decernit, ut regem reducas: quod commo-
do rem facere possis: ut exercitum religio tollat,
te auctorem senatus retineat. *Crassus* tres legatos
decernit, nec excludit *Pompeium*; censeo enim
etiam ex ijs, qui cum imperio sunt: *Bibulus* tres
legatos ex ijs, qui privati sunt. huic assentiun-
tur reliqui consulares, praeter *S. Crassum*, qui o-
mnino reduci negat oportere; et *Volcatium*, qui,
Lupo referente, *Pompeium* decernit; & *Afra-*
nium, qui assentitur *Volcatio*; quae res augeat sus-
picionem *Pompeij* uoluntatis: nam aduerteba-
tur, *Pompeij* familiares assentire *Volcatio*. Labo-
ratur uehementer. inclinata res est. *Libonis*, &
Hypsæi non obscura concursatio, & contentio,
omniumq.

omniumq. Pompeij familiarium studium, in eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere uideatur. cui qui nolunt, ijdem tibi, quod eum ornasti, non sunt amici. Nos in caussa auctoritatem eo minorem habemus, quod tibi debemus. gratiam autem nostram extinguit hominum suspicio, quod Pompeio se gratificari putant. Ut in rebus molto ante, quam profectus es, ab ipso rege, & ab intimis, ac domesticis Pompeij clam exulceratis, deinde palam a consularibus exagitatis, & in summam inuidiam adductis, ita uersamur. nostram fidem omnes, amorem tui absentis praesentisq. cognoscent. si esset in ijs fides, in quibus summa esse debebat; non laboraremus. Vale.

ep. 2. l. 2. ad e.
fratrem.

paullatim Lentulo regis restituenti spem praecidit. rei difficultate ostendit.

propter apertam regis largitionem. ita se excusat, ut culpam in alios rejiciat.

ARGUMENTUM. Scribit, quid actum sit in senatu de caussa regia. ostendit, de Pompeio se bene sperare, ab eius familiaribus tunc mere: tribuni pl. ne quid moliri contra possint, prouisum esse.

Cicero s. D. Lentulo.

2

IDIBVS Ian. in senatu nihil est confectum: propterea quod dies magna ex parte consumptus est altercatione Lentuli cos. et Caninij tribuni pl. eo die nos quoque multa uerba fecimus, maximeq. uisi sumus senatum commemoratione tuae uoluntatis erga illum ordinem commouere. itaque postridie placuit, ut breuiter sententias diceremus. uidebatur enim reconciliata nobis uoluntas senatus esse: quod tum dicendo, tum singulis appellandis, rogandisq. perspexeram. itaque, cum sententia prima Bibuli pronuntiata esset, ut

hic est Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus.

alienata iam ob regiam largitionem. iure trium consularium sententiae primae pronuntiate sunt.

B 2 tres

tres legati regem reducerent; secunda Hortensii,
 ut tu sine exercitu reduceres; tertia Volcatij, ut
 Pompeius reduceret: postulatum est, ut Bibuli sen-
 tentia diuideretur. quatenus de religione dicebat;
 cuiq. rei iam obsisti non poterat, Bibulo assen-
 sum est. de tribus legatis, frequentes ierunt in
 alia omnia. Proxima erat Hortensii sententia, cui
 Lupus tribunus pl. quod ipse de Pompeio retulisset,
 intendere coepit, ante se oportere discessionem
 facere, quam consules. eius orationi uehementer
 ab omnibus reclamatum est: erat enim & ini-
 qua, & noua. consules neque concedebant, ne-
 que ualde repugnabant: diem consumi uolebant:
 id quod est factum: sperspiciebant enim in Horten-
 sii sententiam multis partibus plures ituros: quã
 quam aperte Volcatio assentirentur. multi roga-
 bantur, atque id ipsum consulibus inuitis: nam
 ij Bibuli sententiam ualere cupierunt. Hac contro-
 uersia usque ad noctem ducta, senatus est dimis-
 sus; & ego eo die casu apud Pompeium cenau:
 nactusq. tempus hoc magis idoneum, quam um-
 quam antea, quod post tuum discessum is dies pri-
 mus honestissimus nobis fuerat in senatu, ita sum
 cum illo locutus, ut mihi uiderer animum homi-
 nis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitate
 tuendam traducere. quem ego ipsum cum audio,
 prorsus eum libero omni suspitione cupiditatis:
 cum autem eius familiares omnium ordinum ui-
 deo, perspicio id, quod iam omnibus est apertum,
 totam

quæ uerbat re-
 gem cum exer-
 citu restitui.

uide scholia.

id est, multo
 plures, uide
 scholia.

iuerat Lentulus
 in Ciliam pro
 consul.

excusat Pompe-
 ium de se bene
 meritum, & cul-
 pam confert in
 eius familiares.

totam rem istam iam pridem a certis hominibus, non inuito rege ipso, consiliarijsq. eius, esse corruptam. Haec scripsi ad xvi. Kal. Febr. ante lucem. eo die senatus erat futurus. nos in senatu, quemadmodum spero, dignitatem nostram, ut potest in tanta hominum perfidia, & iniquitate, retinebimus. Quod ad popularem rationem attinet, hoc videmur esse consecuti, ut ne quid agi cum populo aut saluis auspicijs, aut saluis legibus, aut denique sine vi possit. De his rebus pridie, quam haec scripsi, senatus auctoritas gravissima intercesserat: cui cum Cato, & Caninius intercessissent, tamen est perscripta. eam ad te missam esse arbitror. De ceteris rebus, quidquid erit actum, scribam ad te: & ut quam rectissime agantur, omni mea cura, opera, diligentia, gratia providebo. Vale.

altero postidus die, cum Ianuarius haberet tantum xxix. dies.

timebat a tribunis pl.

hi erant tribuni pl. Lentulo infenti.

ep. 14 l. 4. & 14. l. 6.

ARG. Commendat A. Trebonium, amicum suum, splendidum equitem Romanum. Huius autem generis epistolarum quattuor partes solent esse: ut amicum nostrum ostendamus eum quem commendamus: ut bonum virum, & dignum qui commendetur: ut aequitatem rei, de qua scribimus: denique ut beneficii memoriam futurum, simulque nos ipsos significemus. quae in hac epistola non plane omnia sunt expressa.

Cicero s. D. Lentulo. 3

AVLO Trebonio, qui in tua provincia magna negotia, & ampla, & expedita habet, multos annos utor valde familiariter. is cum antea semper, et suo splendore, & nostra, ceterorumque amicorum commendatione, gratissimus in provincia fuit: tum hoc tempore, propter tuum in me

ex equestri ordini.

diuitias, & liberalitatem significat. ep. 26. l. 12.

B 3 amorem,

amorem, nostramq. necessitudinem, uehementer confidit, his meis litteris se apud te gratiosum fore. quae ne spes eum fallat, uehementer te rogo: commendoq. tibi eius omnia negotia, libertos, procuratores, familiam, in primisque, quae T. *Am*pius de eius re decreuerit, ea comprobes; omnibusq. rebus eum ita tractes, ut intelligat nostram commendationem non uulgarem fuisse. Vale.

seruos. ep. 29.
lib. 12.
forte is est, ad
quem scribit ep.
12. lib. 6. & de
quo ep. 29. l. 10.
& ad Att. 11. l. 8.

ARG. Laudat officium suum. cum subiungit de calumniis aduertitorum; per quos liceret, quo minus res conficeretur. a senatu ostendit se bene sperare, sed cum habitum iri non nisi post multos dies, uim timer. postremo loco, senatum, & populum bene sentire de Lentulo, significat.

Cicero s. d. Lentulo.

4

AD XVI. Kal. Febr. cum in senatu pulcherri-
me starem, quod iam illam sententiam Bibuli
de tribus legatis pridie eius diei fregeramus; u-
numq. certamen esset relictum, sententia Volca-
tij; res ab aduersarijs nostris extracta est uarijs
calumnijs. causam enim, frequenti senatu, in
magna uarietate, magnaq. inuidia eorum, qui
a te causam regiam alio transferebant, obtine-
bamus. eo die acerbum habuimus Curionem, Bi-
bulum multo iustiores, paene etiam amicum. Ca-
ninius, et Cato negarunt se legem ulla ante co-
muniā esse laturus. senatus haberi ante Kal. Feb.
per legem Pupiam, id quod scis, non potest, ne-
que in ense Febr. toto, nisi perfectis, aut reiectis
legationibus. haec tamen opinio est populi R. a-
liis inuidis, atque obtristatoribus nomen indu-
ctum

ut Pompeius
regem reduce-
ret.

sententiarum.

consularem, &
triumphalem.

quae habeban-
tur Sexti in sen-
to.

de comicialibus
diebus ep. 2 &
12. l. 2 ad Q. fr.

Etiam si fidei religionis, non tam ut te impedirent, quam ut ne quis propter exercitus cupiditatem Alexandriam uellet ire. dignitatis autem tuae, nemo est, quin existimet habitam esse rationem ab senatu. nemo est enim, qui nesciat, quo minus discessio fieret, per aduersarios tuos esse factum. qui nunc populi R. nomine, re autem uera sceleratissimo latrocinio, si qua conabuntur agere: satis prouisum est, ut ne quid saluis auspicijs, aut legibus, aut iam sine ui agere possint. Ego neque de meo studio, neque de nonnullorum iniuria scribendum mihi esse arbitror. quid enim aut me ostentem, qui, si uitam pro tua dignitate profundam, nullam partem uidear tuorum meritorum assecutus; aut de aliquorum iniurijs querar, quod sine summo dolore facere non possum? ego tibi aui, hac praesertim imbecillitate magistratum, praestare nihil possum: ui excepta, possum confirmare, te & senatus, & populi R. summo studio amplitudinem tuam retenturum. Vale.

ARG Semper exorditur a commemoratione officij sui. subiungit de Caronis tribuni pl. lege promulgata, ut Lentulus de Ciceri reuocaretur. causam reuocari a Pompeio depositam significat, quae in auctorem ipse habere Lentulus debeat.

Cicero s. d. Lentulo.

TAMESI nihil mihi fuit optatius, quam ut primum abs te ipso, deinde a ceteris omnibus quam gratissimus erga te esse cognoscerer: tamen afficior summo dolore, eiusmodi tempora post tuam profectiorem consecuta esse, ut & meam, &

B 4 cere-

cum dicerent, sibyllae ueribus regis reductionem uetari. Dio l. 39.

4 quibus extracta res est uariis calumnijs. his comitialibus diebus, ep. 2. l. 2. ad Q. li.

artificiose suum officium extollic, & aliorum iniurias insuetur.

qui si fortes essent, uim prohibere possent.

in caussa regia,
& in Catonis
iniuria.

quia negauerat
Cato se legem
ullā ante comi-
tia laturum.
gravius enim
est eripi nobis,
quod habemus
quam nō dari,
quod cupimus.

ut uel alius re-
stituat, uel, tota
re abiecta, resti-
tuat nemo,

Pompeium si
gnificat.

consolatur Lea-
tulum, re p̄ne
desperata.

animi enim bo-
na eripi nō pos-
sunt.

ceterorum erga te fidem, & beneuolentiam ab-
sens experirere. Te autem uidere, et sentire ean-
dem fidem hominum in tua dignitate, quam ego
in mea salute sum expertus, ex tuis litteris intel-
lexi. Nos cum maxime consilio, studio, labore,
gratia de caussa regia niteremur, subito exorta
est nefaria Catonis promulgatio, quae nostra stu-
dia impediret, & animos a minōre cura ad sum-
mum timorem traduceret. sed tamen in eiusmodi
rerum perturbatione quamquam omnia sunt
metuenda, nihil magis, quam perfidiam, time-
mus, & Catoni quidem, quoquo modo se res ha-
bet, profecto resistimus. De Alexandrina re,
caussa q. regia tantum habeo polliceri, me tibi ab-
senti, tuisq. praesentibus cumulate satisfactu-
rum. sed uereor, ne aut eripiatur nobis, aut de-
seratur: quorum utrum minus uelim, non facile
possum existimare. sed, si res coget, est quiddam
tertium, quod neque Selicio, nec mihi displice-
bat: ut neque iacere regem pateremur, nec, no-
bis repugnantibus, ad eū deferri ad quem pro-
pe iam delatum esse existimatur. a nobis agentur
omnia diligenter: ut neque, si quid obtineri pote-
rit, non contendamus; nec, si quid non obtinue-
rimus, repulsi esse uideamur. Tuae sapientiae, ma-
gnitudinisq. animi est omnem amplitudinem, &
dignitatem tuam in uirtute, atque in rebus gestis
tuis, atque in tua grauitate positam existimare;
si quid ex ijs rebus, quas tibi fortuna elargita est,

non

non nullorum hominum perfidia detraxerit, id maiori illis fraudi, quam tibi, futurum. A me nullum tēpus praetermittitur de tuis rebus et agendi, et cogitandi: ut orq. ad omnia Q. Selicione que enim prudentiorem quemquam ex tuis, neque fide maiore esse iudico, neque amantiorem tui.

Hic quae agantur, quaeq. acta sint, ea te et litteris multorum, & nuncijs cognoscere arbitror: quae autem posita sunt in coniectura, quaeq. mihi videntur fore, ea puto tibi a me scribi oportere. Postea quam Pompeius apud pōpulum ad VIII. id. Febr. cum pro Milone diceret, clamore, conuicioq. iactatus est, in senatuq. a Catone asperere, & acerbe, omnium magno silentio, est accusatus; uisus est mihi uehementer esse perturbatus. itaque Alexandrina causa, quae nobis adhuc integra est, (nihil enim tibi detraxit senatus, nisi id, quod per eandem religionem dari alteri non potest) uidetur ab illo plane esse deposita. nunc id speramus, idq. molimur; ut, cum rex intelligat sese, id quod cogitabat, ut a Pompeio reducatur, assequi non posse, & nisi per te sit restitutus, desertum se, atque abiectum fore, proficiscatur ad te. quod sine ulla dubitatione, si Pompeius paulum modo ostenderit sibi placere, faciet. sed nosti hominis tarditatem, & taciturnitatem. nos tamen nihil, quod ad eam pertineat, praetermittimus. ceteris iniurijs, quae propositae sunt a Catone, facile, ut spero, resistemus.

sic ep. 1. l. 12.

nō dubiū est, hoc esse principium alterius epistolae, cū supra regē dicat ad Pompeium esse delatum, a fra uero a Pompeio rem depositam.
ep. 3. l. 2. ad Q. fr.

de te uno cogitet.
non statim solebat Pompeius ostendere, quid uellet. ep. 4. l. 8.

inuento tribu-
no pl. qui legi
promulgare
intercedat.

Catonis.

Astinae gentis.
ep. 31. lib. 10.

quia nō praesto
quod tu i meis
praestitisti.

ep. 7. l. 3. &
15. l. 15. & ult. l.
1. ad Q. fr.

quorum infide-
litate labora-
mus. ep. 1.

cum electus pa-
tria est, bonis
publicatis.

maior enim ap-
paret uirtus in
rebus aduersis.
ep. 10 l. 3.

mīis . amicū ex consularibus neminem tibi esse uideo, praeter Hortensium, & Lucullum . ceteri sunt partim obscurius iniqui, partim non dissimulantes irati . tu fac animo forti, magnoq. sis; spesq. fore, ut, fracto impetu lenissimi hominis, tuā pristinam dignitatē, et gloriam consequare. Vale.

ARG. *Tota uidetur esse consolatoria epistola. consolatur enim Lentulum ex comparatione temporum suorum; cui, in exilium pulsus, breui tamen eo & patriam, & dignitatem recuperauit. breuis est epistola, quia Pollio ad Lentulum ibat, omnia narraturus.*

Cicero s. D. Lentulo. 6

QVAE gerantur, accipies ex Pōllione, qui omnibus negotijs non interfuit solum, sed praefuit. Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quod ualde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas & consilij tuorum amicorum, & ipsa die, qua debilitantur cogitationes & inimicorum, & proditorum. Facile secundo loco me consolatur recordatio meorum temporum: quorum imaginem uideo in rebus tuis. nam, etsi minore in re uiolatur tua dignitas, quam meā salus afflicta sit: tanta est tanta similitudo, ut sperem te mihi ignoscere, si ea non timuerim, quae ne tu quidem unquam timenda duxisti. sed praesta te eum, qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus. illustrabit, mihi crede, tuam amplitudinem hominum iniuria. a me omnia summa in te studia, officiaq. expecta. non fallam opinionem tuam. Vale.

ARG.

ARG Lentuli litteris respondet : de Alexandrina re scribit, quid Pompeio, ipsiq. uideatur : ut tamen totū illud consilium Lentuli sapientiae permittat . adiungit de Milone , & Clodio , de statu reip. de filiae nuptiis .

Cicero s. d. Lentulo procos . 7

LEGI tuas litteras ; quibus ad me scribis , gratum tibi esse , quod crebro certior per me fias de omnibus rebus , & meam erga te beneuolentiam facile perspicias . quorum alterum mihi , ut te plurimum diligam , facere necesse est ; si uolo is esse , quem tu me esse uoluisti : alterum facio libenter ; ut , quoniam interuallo locorum , & temporum disiuncti sumus , per litteras tecum quam saepissime colloquar . quod si rarius fiet , quam tu exspectabis ; id erit causae , quod non eius generis meae litterae sunt , ut eas audeā temere committere . quoties mihi certorum hominum potestas erit , quibus recte dem ; non praetermittam . Quod scire uis , qua quisque in te fide sit , & uoluntate : difficile dictu est de singulis . unum illud audeo , quod antea tibi saepe significauī , nunc quoque , re perspecta , & cognita , scribere : uehementer quosdam homines , et eos maxime , qui te & maxime debuērunt , & plurimum iuuare potuerunt , inuidisse dignitati tuae : simillimamq. in re dissimili , tui temporis nunc , & nōstri quondam , fuisse rationem : ut , quos tu reip. causa laeseras , palam te oppugnarent ; quorum auctoritatem , dignitatem , uoluntatemq. defenderas , non tam memores essent uirtutis tuae , quā laudis inimici :

gratus, pro tuo in me merito.

erat enim annua prouinciarum administratio: quod si longior, extra ordinem.

perfidia & hic notat. ep. 2. & 3.

loquitur de tempore exsili sui.

in cōsulares dictum uidetur.

mici. Quo quidem tempore, ut perscripsi ad te antea, cognoui Hortensium percupidum tui, studiosum Lucullum, ex magistratibus autem L. Raticum & fide, & animo in te singulari. nam nostra propugnatio, ac defensio dignitatis tuae, propter magnitudinē beneficij tui, fortasse plerisque officij maiorem auctoritatem habere uideatur, quā sentētiaē. praeterea quidem de consularibus nēmini possum aut studij erga te, aut officij, aut amici animi esse testis. etenim Pompeium, qui mecum saepissime, non solum a me prouocatus, sed etiam sua sponte, de te communicare solet, scis temporibus illis non saepe in senatu fuisse. cui quidem litterae tuae, quas proxime miseris, quod facile intellexerim, periucundae fuerunt. mihi quidem humanitas tua, uel summa potius sapientia, non iucunda solum, sed etiam admirabilis uisa est. uirum enim excellentem, & tibi tua praestanti in eum liberalitate deuinctum, non nihil suspicantem, propter aliquorum opinionem suae cupiditatis, te ab se abalienatum, illa epistola retinuisti. qui mihi cum semper tuae laudi fauere uisus est, etiam ipso suspiciosissimo tēpore Cāniniano: tum uero, lectis tuis litteris perspectus est a me, toto animo de te, ac de tuis ornamentis, & commodis cogitare. Quare ea, quae scribam, sic habeo, me, cum illo re saepe communicata, de illius ad te sententia, atque auctoritate scribere: quoniam S. C. nullum extat, quo reductio regis Alexandrini

tribunum pl.
ep. 1. et 5. lib. 2.
ad Q. fr.

quia te adiunā
te sum ab ex-
filio reuocatus.

idem ep. 5.

in quo beneuo-
lentiam signifi-
cat.

quia Lentulus
cū ornauerat,
ut est i ep. 1. hu-
ius libri.

alii, Catoniano
ut intelligatur
tēpus, quo Ca-
to legem pro-
mulgauit de ab-
roganda Lentu-
lo prouincia.

drini tibi adēpta sit ; eaque, quae de ea scripta est ,
 auctoritas , cui scis intercessum esse, ut ne quis om-
 nino regem reduceret, tantam uim habet, ut ma-
 gis iratorum hominum studium, quam constantis
 senatus consilium, esse uideatur ; te posse perspi-
 cere, qui Ciliciam, Cyprumq. teneas, quid effice-
 re, & quid consequi possis : & , si res facultatem
 habitura uideatur, ut Alexandriam, Atque Ae-
 gyptum tenere possis ; esse & tuae, & nostri im-
 perij dignitatis, Ptolemaide, aut aliquo propin-
 quo loco rege collocato, te cum classe, atque exer-
 citu proficisci Alexandriam ; ut, cum eam pace,
 praesidijsq. firmaris, Ptolemaeus redeat in re-
 gnum ; ita fore, ut per te restituatur, quemadmo-
 dum senatus initio cēnsuit ; & sine multitudine
 reducatur, quemadmodum homines religiosi Si-
 byllae placere dixerunt . Sed haec sententia sic &
 illi, & nobis probabatur, ut ex euentu homines
 de tuo consilio existimaturos uideremus : si ceci-
 disse, ut uolumus, & optamus, omnes te & sa-
 pienter, & fortiter ; sin aliquid esset offensum, eos
 dem illos, & cupide, & temere fecisse, dictu-
 ros . Quare, qui assequi possis, non tam facile
 est nobis, quam tibi, cui prope in cōspectu Ae-
 gyptus est, iudicare . nos quidem hoc sentimus :
 si exploratum tibi sit, posse te illius regni pōtiri,
 non esse cunctandum ; sin dubium, non esse conan-
 dum . illud tibi affirmo, si rem istam ex sententia
 gesseris, fore, ut absens a multis ; cum redieris,

ob regis largi-
 tionem .

ergo & Cyprus
 a Cilicię procō
 sule regehatur,
 cum, a P. Clo-
 dio lege lata, ef-
 fer publicata, ue
 historia demo-
 strat .

cum ipse Lenta-
 lus consul retu-
 lit de rege redū-
 cendo, ut ep. 1.

offensum esset,
 si Alexandrinis
 regem reiicien-
 tibus, uentum
 esset ad arma .
 ep. 4. lib. 8

ut Aegyptii Pto-
 lemaicum reci-
 piant .

ab



auſtoritas ſena
tus tollebat re
ſtitutionem re
gis, religio Si
byllinorum car
minū reſticui
regem cū mul
titudine uera
bat.

ex Cilicia enī
traicitur in Ae
gyptum.

lati⁹ patet, quā
cauſa. cauſam
autem Alexan
drinam ſignifi
cat, ſic locutus
etiā ep. 6. l. 2.

cū enim per te
maxime ſim re
ſtitutus, haec
maxime a te
ſunt.

cum dignitatis
rationem habe
bamus ſine ſa
lucis cura.

ab omnibus collaudere. offenſionem eſſe periculo
ſam propter interpoſitam auctoritatem, religio
nemque uideo. ſed ego te ut ad certam laudem ad
hortor, ſic a dimicatione deterreo: redeoq. ad il
luſtrationem, quod initio ſcripſi, totius facti tui iudicium
non tam ex conſilio tuo, quam ex euentu homi
nes eſſe facturos. Quod ſi haec ratio rei gerendae
periculofa tibi uidebitur; placebat illud, ut, ſi
rex amicis tuis, qui per prouinciam imperij tui
pecunias ei credidiſſent, fidem ſuam praefitiſſet,
& auxilijs eum tuis, & copijs adiunares: eam eſ
ſe naturam, et regionem prouincine tuae, ut illius
reuerentiam uel adiunando confirmares, uel negligen
do impedires. In hac ratione quid res, quid cauſa,
quid tempus ferat, tu facillime, optimeq. per
ſpicias; quid nobis placuiſſet, ex me potiffimum
putaui te ſcire oportere. Quod mihi de noſtro ſta
tu, de Milonis familiaritate, de leuitate, & im
becillitate Clodij gratularis: minime miramur te
tuis, ut egregium artificem, praeclaris operibus
laetari. quamquam eſt incredibilis hominum per
uerſitas; (grauiori enim uerbo uti non licet)
qui nos, quos ſouendo in communi cauſa retine
re potuerunt, inuidendo ab alienauerunt: quorum
maleuolentiſſimis obtreſtationibus nos ſcito de ue
tere illa noſtra diuturna q. ſententia prope iam eſ
ſe depulſos; non nos quidem ut noſtrae dignitatis
ſimus obliti, ſed ut habeamus rationem aliquan
do etiam ſalutis. poterat utrumque praeclare, ſi
eſſet

esset fides, si grauitas in hominibus consularibus: sed tanta est in plerisque leuitas, ut eos non tam constantia in rep. nostra delectet, quam splendor offendat. Quod eo liberius ad te scribo, quod tu non solum temporibus ijs, quae per te sum adeptus, sed iam olim nascenti prope nostrae laudi, dignitati, uirtutiq. praesuisi: simul quod uideo, non, ut antehac putabam, nouitati esse inuisum meae. in te enim, homine omnium nobilissimo, similia inuidorum uitia perspexi: quem tamen illi esse in principibus facile sunt passi; euolare alius certe noluerunt. Gaudeo tuam dissimilem fuisse fortunam. multum enim interest, utrum laus imminuatur, an salus deseratur. me meae tamen ne nimis paeniteret, tua uirtute perfectum est. curasti enim, ut plus additum ad memoriam nominis nostri, quam ademptum de fortuna uideretur. Te uero moneo, cum beneficijs uis, tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam a pueritia inflammatus fuisti, omni cura, atque industria consequare; magnitudinemq. animi tui, quam ego semper sum admiratus, semperque amauit, ne unquam inflectas cuiusquam iniuria. magna est hominum opinio de te; magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui. haec, profecto uides, quanto expressiora, quantoque illustriora futura sint, cum aliquantum ex prouincia, atque ex imperio laudis accesserit. quamquam te ita gerere uolo, quae per exer-

eosdem carpit
ep. 5. & hac ip-
sa, i principio.

quizerat homo
Arpinas.
erat eni patri-
ciae gentis, &
maioribus or-
tus clarissimis.

cum me in pa-
triam restituiti.

timet, ne Len-
tulus propter
improborum
iniurias abiici-
at reip. curam.

quam aedilis o-
stenderat. l. 2.
de off.

ita cum horta-
tur, ut multam
uelic cautione
adhiberi.

citum.

eueri, & confer-
uare. iam enim
dixit, adeptus.

notat amicorū
Lentuli perfidiam.

factio Caesaris,
& Pompeii, or-
ptimatibus ad-
uersa.

qui maxime
Caesari & Pom-
peio fauebat.
oratio de pro-
uinc.

lex Sempronia
erat, ut annua
tantū esset pro-
uinciarum ad-
ministratio ora-
tio pro domo.

cum ego didice-
rim in aduersa
fortuna.

filiam suā post
mortem Pisonis
Crassipedi
collocavit.

citum, atque imperium gerenda sunt; ut haec mul-
to ante meditare, huc te pares, haec cogites, ad
haec te exerceas; sentiasq. id, quod quia semper
sperasti, non dubito quin adeptus intelligas, te fa-
cillime posse obtinere summum, atque altissimum
gradum ciuitatis. Quae quidem mea cohortatio ne
tibi inanis, aut sine causa suscepta uideatur; illa
me ratio mouit, ut te ex nostris euentis commu-
nibus admonendum putarem; ut considerares in
omni reliqua tua uita, quibus crederes, quos ca-
ueres. Quod scribis te uelle scire, qui sit reip. sta-
tus: summa dissensio est, sed contentio dispar. nā
qui plus opibus, armis, potentia ualent, profe-
cisse tantum mihi uidentur stultitia, & inconstan-
tia aduersariorum, ut iam etiam auctoritate plus
ualerent. itaque, per paucis aduersantibus, om-
nia, quae ne per populum quidem sine seditione
se assequi posse arbitrabantur, per senatum conse-
cuti sunt. nam & stipendium Caesari decretum
est, & decem legati: & ne lege Sempronia suc-
cederetur, facile perfectum est. quod ego ad te
breuius scribo, quia me status hic reip. non dele-
tat: scribo tamen, ut te admoneam; quod ipse
litteris omnibus a pueritia deditus, experiendo ta-
men magis, quam discendo, cognoui, id ut tu re-
bus tuis integris discas, neque salutis nostrae ra-
tionem nobis habendam esse sine dignitate, neque
dignitatis sine salute. Quod mihi de filia, &
de Crassipede gratularis: agnosco humanitatem
tuam:

tuā: speroque, & opto, nobis hanc coniunctionem voluptati fore. Lentulum nostrum, eximia spe summae uirtutis adolescentem, cum ceteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui fac erudias. nulla enim erit hac praestantior disciplina. quem nos, & quia tuus, & quia te dignus est filius, & quia nos diligit, semperq. dilexit, in primis amamus, carumq. habemus. Vale.

fuit enim litteris instructus. uide librum de claris orat.

Cicero s. D. Lentulo procos. 8

ARG. Tota est epistola contra mores immutatos. & hoc non sine artificio, ut intelligat Lentulus, iam sibi nihil sperandum de rege reducendo.

DE omnibus rebus, quae ad te pertinent, quid actum, quid constitutum sit, quid Pompeius susceperit, optime ex Emplatorio cognosces; qui non solum interfuit his rebus, sed etiam praesuit, neque ullum officium erga te hominis amantissimi, prudentissimi, diligentissimi praetermisit. ex eodem de toto statu rerum communium cognosces: quae quales sint, non facile est scribere: sunt quidem certe in amicorum nostrorum potestate, atque ita, ut nullam mutationem unquam hac hominum aetate habitura res esse uideatur. ego quidem, ut debeo, & ut tute mihi praecepisti, & ut me pietas, utilitasq. cogit, me ad eius rationes adiungo, quem tu in meis rationibus tibi esse adiungendum putasti. sed te non praeterit, quam sit difficile, sensum in rep. praesertim rectum, & confirmatum, deponere. uerumtamen ipse me con-

aut liberti nomen; aut mendosum. fortasse, C. Plaetoria requiruntur in curando negotio, amor, prudentia, diligentia.

Pompeium intelligit, qui Lentulum adiuerat in restituendo Cicerone.

C formo

eum ei pluri-
mum debeam.

M. Catonem,
Hortensium, &
alios intelligit,
Pompeii, Cae-
sarisq. poten-
tiam oppugnā-
tes.

administranda.

contra rep.
iuae potentiae
causa lentien-
tibus.
de rege redi-
cendo.

maxime autem
M. Cato, nimis
in rep. seuerus.

formo ad eius uoluntatem. a quo honeste dissentire non possum. neque id facio, ut forsitan quibusdam uideor, simulatione tantum animi inducō, & mehercule amor erga Pompeium apud me ualet, ut, quae illi utilia sunt, & quae ille uult, ea mihi omnia iam & recta, & uera uideantur. neque, ut ego arbitror, errarent ne aduersarij quidem eius, si, cum pares esse non possent, pugnare desisterent. Me quidem etiam illa res consolatur, quod ego is sum, cui uel maxime cōcedant omnes, ut uel ea defendam, quae Pompeius uelit; uel taceam; uel etiam, id quod mihi maxime lubet, ad nostra me studia referam litterarum; quod profecto faciam, si mihi per eiusdem amicitiam licebit. quae enim proposita fuerant nobis, cum & honoribus amplissimis, & laboribus maximis perfundēti essemus, dignitas in sententijs dicendis, libertas in rep. cāpessenda, ea sublata tota, sed nec mihi magis, quam omnibus. nam aut assentiendum est nulla cum grauitate paucis; aut frustra dissentiendū. Haec ego ad te ob eam causam maxime scribo, ut iam de tua quoque ratione meditare. commutata tota ratio est senatus, iudiciorum, rei totius publicae: otium nobis exoptandum est: quod ij, qui potiuntur rerum, praestaturi uidentur, si quidam homines patientius eorum potentiam ferre potuerint. dignitatem quidem illam consularem fortis, & constantis senatoris, nihil est, quod cogitemus: amissa est culpa eorum,

eorum, qui a senatu & ordinem coniunctissimum, & hominem clarissimum abalienarunt. Sed, ut ad ea, quae coniunctiora rebus tuis sunt, reuertar: Pompeium tibi ualde amicum esse cognoui: & ego tu cōsule, quantum ego perspicio, omnia, quae uoles, obtinebis. quibus in rebus me ille sibi affixum habebit: neque a me ulla res, quae ad te pertineat, negligetur. neque enim uerebor, ne sim ei molestus: cui iucundum erit etiam propter id ipsum, quod me esse gratum uidebit. Tu uelim tibi ita persuadeas, nullam rem esse minimam, quae ad te pertineat, quae mihi non carior sit, quam meae res omnes. idq. cum sentiam; sedulitate mihi met ipse satisfacere possum; re quidem ipsa ideo mihi nōn satisfacio, quod nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum. Rem te ualde bene gessisse rumor erat. expectabantur litterae tuae: de quibus eramus iam cum Pompeio locuti: quae si erunt allatae, nostrum studium exstabit in cōueniendis magistratibus, & senatoribus. cetera, quae ad te pertinebunt, cum etiam plus contenderimus, quam possumus, minus tamen faciemus, quam debemus. Vale.

de ordine eque-
stri loquitur: &
de Pompeio.

consul enim
erat cum M.
Craso.

dixit idē initio
primae episto-
lae.

ut supplicatio-
nes tibi decer-
nantur.

uincētur enim
tuis meritis of-
ficia mea idem
aliis uerbis ep.
4. lib. 6. in fine.

ARG. Querenti Lentulo, cur cum inimicis in gratiam redierit, causas exponit consilij sui, & ostendit uelle se rationem salutis habere, quam dignitatis, & eorum obsequij uoluntati, a quibus de se optime meritis honeste dissentire non potest. Pompeium autem maxime significat.

Cicero s. d. Lentulo imp.

PERIVCUNDAE mihi fuerunt litterae
 tuae: quibus intellexi, te perspicere meam in te pie-
 tatem: quid enim dicam, benevolentiam? cum il-
 lud ipsum grauiissimum, & sanctissimum nomen
 pietatis leuius mihi meritis erga me tuis esse ui-
 deatur. Quod autem grata tibi mea erga te studia
 scribis esse: facis tu quidem abundantia quadam a-
 moris, ut etiam grata sint ea, quae praetermitti si-
 ne nefario scelere non possunt: tibi autem multo no-
 tior, atque illustrior meus in te animus esset, si hoc
 tempore omni, quo seiuncti fuimus, & una, &
 Romae fuiffemus. nam in eo ipso, quod te ostendis
 esse facturum, quodq. et in primis potes, et ego a
 te uehementer exspecto, in sententijs senatorijs, et
 in omni actione, atque administratione reip. flo-
 ruiffemus. de qua ostendam equidem paullo post,
 qui sit meus sensus, & status: & rescribam tibi
 ad ea, quae quaeris. sed certe & ego te auctore
 amicissimo, ac sapientissimo, tu me consiliario
 fortasse non imperitissimo, fideli quidem, & be-
 neuolo certe, usus esses. quamquam tua quidem
 causa, te esse imperatorem, prouinciamq. bene
 gestis rebus cum exercitu uictore obtinere, ut de-
 beo, laetor. sed certe, qui tibi ex me fructus debentur,
 eos uberiores, et praestantiores praesens cape-
 re potuiffes. in eis uero ulciscendis, quos tibi par-
 tim inimicos esse intelligis propter tuam propu-
 gnationem salutis meae, partim inuidere pro-
 pter

proprie enim
 erga deos usur-
 patur. ep. 1.

disce, quod sit
 officium boni ui-
 ri. sua enim er-
 ga Lentulum be-
 ne meritum stu-
 dia non modo
 non extollit,
 sed quasi dissi-
 mulat.

in consilijs ca-
 piendis.

modesta sui-
 met laudatio.

ab exercitu
 post uictoriam
 appellatum. iii
 de ep. 10. lib. 2.

pter illius actionis amplitudinem, & gloriam, mi-
 rificum me tibi comitem praebuissem. quamquam
 ille perennis inimicus amicorum suorum, qui tuis
 maximis beneficiis ornatus, in te potissimum fra-
 etam illam, et debilitatam vim suam contulit; no-
 stram vicem ultus est ipse sese: ea est enim conatus,
 quibus patefactis, nullam sibi in posterum non mo-
 do dignitatis, sed ne libertatis quidem partem reli-
 quit. Te autem etsi mallet in meis rebus exper-
 tum, quam etiam in tuis: tamen in molestia gau-
 deo, eandem fidem cognoscere hominum non ita in-
 gna mercede, quam ego maximo dolore cognora-
 de qua ratione tota iam videtur mihi exponendi
 tempus dari, ut tibi rescribam ad ea, quae quae-
 ris. Certiorem te per litteras scribis esse factum
 me cum Caesare, et cum Appio esse in gratia: te quae-
 id non reprehendere adscribis. Vatinius autem,
 scire te uelle ostendis, quibus rebus adductus defen-
 derim, & laudari. quod tibi ut planius expo-
 nam, altius paullo rationem meorum consiliorum
 repetam, necesse est. Ego me, Lentule, initio re-
 rum, atque actionum tuarum, non solum meis, sed
 etiam reip. restitutum putabam: &, quoniam ti-
 bi incredibilem quendam amorem, & omnia in
 te ipsum summa, ac singularia studia deberem,
 reip. quae te in me restituendo multum adiuuisset,
 eum certe me animum merito ipsius debere arbi-
 trabar, quem antea tantummodo communi offi-
 cio ciuium, non aliquo erga me singulari benefi-

quod a te con-
 sule sum resti-
 tutus.

quod in illum
 nos facere o-
 portuit, fecit
 ipsemet.

fic tu contra di-
 xeris, in uolu-
 ptate doleo.
 idem significat
 ep. 6. & 7.

per Cn. Pompe-
 ium: cuius fi-
 lio Appij filia
 nupsit.

narratio alte-
 re-
 petita, ut in
 stitiae crime-
 a se depella-

quasi dicat,
 quem tibi fa-
 tis explicare
 non possum.

postea quam
restitutus a te
sum, eo ipso an
no.

de domo recu-
peranda.

eadem uerba
in oratione
pro Sextio.
cum te in me
restituendo ad-
iuuerunt.

in iudicio, cum
Sextus de ni ac-
cusatus causam
diceret.

Bibulus enim,
armorum me-
tu domo inclu-
sus, consul fue-
rat titulo tenus

cio, debitum praestitissim. Hac me mente fuisse,
& senatus ex me te consule audiuit, & tu in no-
stris sermonibus, colloctionibusq. ipse uidisti. et si
iam primis temporibus illis, multis rebus meus
offendebatur animus; cum, te agente de reliqua
nostra dignitate, aut occulta non nullorum odia,
aut obscura in me studia cernebam. nam neque de
monumentis meis ab ijs adiutus es, a quibus de-
bui, neque de ui nefaria, qua cum fratre eram
domo expulsus: neque hercule in ijs ipsis rebus,
quae quamquam erant mihi propter rei familiaris
naufragia necessariae, tamen a me minimi puta-
bantur. in meis damnis ex auctoritate senatus re-
sarcendis eam uoluntatem, quam expectaram,
praestiterunt. Quae cum uiderem; (neque enim
erant obscura) non tamen tam acerba mihi haec
accidebant, quam erant illa grata, quae fecerant.
itaque, quamquam & Pompeio plurimum, te
quidem ipso praedicatore, ac teste, debebam; &
eum non solum beneficio, sed amore etiam, & per-
petuo quodam iudicio meo diligebam: tamen, non
reputans quid ille uellet, in omnibus meis senten-
tijs de rep. pristinis permanebam. Ego, seden-
te Cn. Pompeio, cum, ut laudaret P. Sextium,
introyisset in urbem; dixissetq. testis Vatinius,
me fortuna, & felicitate C. Caesaris commo-
tum illi amicum esse coepisse; dixi, me eam Bi-
buli fortunam, quam ille afflictam putaret omni-
um triumphis, uictorijsq. anteferre: dixiq. eo-
dem

dem teste alio loco, eosdem esse, qui Bibulum exire domo prohibuissent, & qui me coegissent. tota uero interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus: in quo omnia dicta sunt libertate, animoque maximo de ui, de auspicijs, de donatione regnorum. neque uero hac in caussa modo, sed constanter saepe in senatu. quin etiam, Marcellino, & Philippa cos. nonis Apr. mihi est senatus assensus, ut de agro Campano, frequenti senatu, idibus Maij referretur. num potui magis in arcem illius caussae inuadere, aut magis obliuisci temporum meorum, & meminisse actionum? hac a me sententia dicta, magnus animorum motus est factus, cum eorum, quorum oportuit, tum illorum etiam, quorum numquam putaram. nam, hoc s. c. in meam sententiam facto, Pompeius, cum nihil mihi ostendisset se offensum, in Sardiniam, & in Africam profectus est: eoq. itinere Lucam ad Caesarem uenit: ubi multa de mea sententia questus est Caesar, quippe, qui etiam Rauennae Crassum audivisset, ab eoq. in me esset incensus. sane moleste Pompeium id ferre constabat: quod ego cum audivissem ex alijs, maxime ex meo fratre cognoui, quem cum in Sardinia Pompeius paucis post diebus, qua Luca discesserat, conuenisset; Te, inquit, ipsu cupio: nihil opportunius potuit accidere: nisi cum Marco fratre diligenter egeris; dependendum tibi est, quod mihi pro illo spondidisti. quid multa?

C 4 questus

tribunus fuerat Vatinius consul Caesaris.

diuidendo. ep. 8. lib. 8. & ep. 20. libri xi.

tempora pro calamitatibus, & hic, & alibi non semel usurpantur.

provinciae Galliae, cui praeeerat Caesar, initium erant coloniae duae, Luca ad inferum mare, ad superum Rauenna,

confirmandis a
senatu.

de me ab exsi-
lio reuocando.

i. ut nihil age-
rem ante quam
ipse redijset.

arguit ab hone-
sto.

quia Caesaris,
loceri sui, po-
tētia faueret.

arguit ab inu-
ria, ut excuset
mutationē con-
silij sui.

oratio de pro-
uincijs in ex-
tremo.

questus est grauiter: sua merita commemorauit
quid egisset saepissime de actis Caesaris cum ipso
meo fratre, quidq. sibi is de me recepisset, in me-
moriam rededit; seque, quae de mea salute egis-
set, uolūtate Caesaris egisse, ipsum meum fratrem
testatus est: cuius causam, dignitatemq. mihi ut
commendaret, rogauit; ut eam ne oppugnarem,
si nollem, aut non possem tueri. Haec cum ad me
frater pertulisset; & cum ante tamen Pompeius
ad me cum mandatis Vibullium misisset, ut inte-
grum mihi de causa Campana ad suum reditū re-
seruarem: collegi ipse me, & cum ipsa quasi rep-
sum collocutus; ut mihi tam multa pro se perpes-
so, atque persundto, concederet, ut officium meum,
memoremq. in bene meritos animum, fidemq. fra-
tris mei praestarem; eumque, quem bonum ci-
uem semper habuisset, bonum uirum esse pate-
retur. In illis autem meis actionibus, senten-
tijsq. omnibus, quae Pompeium uidebantur of-
fendere, certorum hominum, quos iam debes sus-
picari, sermones referebantur ad me: qui cum
illa sentirent in rep. quae ego agebam, semperq.
sensissent; me tamen non satisfacere Pompeio,
Caesaremq. inimicissimum mihi futurum, gaude-
re se aiebant. Erat hoc mihi dolendum, sed mul-
to magis illud, quod inimicum meum, meum au-
tem? immo uero legum, iudiciorum, otij, patriae,
bonorum omniū, sic amplexabantur, sic in mani-
bus habebant, sic souebant, sic, me praesente,
oscu-

osculabantur, non illi quidem ut mihi stomachum facerent, quem ego funditus perdididi, sed certe ut facere se arbitrarentur. Hic ego, quantum humano consilio efficere potui, circumspectis rebus omnibus, rationibusq. subductis, summam feci cogitationum mearum omnium: quam tibi, si poterō, breuiter exponam. Ego, si ab improbis, & perditis ciuibus remp. teneri uiderem, sicut & meis temporibus scimus, & non nullis alijs accidisse accepimus; non modo praemijs, quae apud me minimum ualent, sed ne periculis quidem compulsus ullis, quibus tamen mouentur etiam fortissimi uiri, ad eorum causam me adiungerem, ne si summa quidem eorum in me merita constarent: cum autem in rep. Cn. Pompeius princeps esset, uir is, qui hanc potentiam & gloriam maximis in remp. meritis, praestantissimisq. rebus gestis esset consecutus, cuiusq. dignitatis ab adolescentia fautor, in praetura autem, & in consulatu adiutor etiam exstitissem; cumq. idem auctoritate, & sententia per se consilijs, & studijs tecum me adiuuisset; meumq. inimicum unum in ciuitate haberet inimicum: non putavi famam inconstantiae mihi pertimescendam, si quibusdam in sententijs paulum me immutassem, meamq. uoluntatem ad summi uiri, de meq. optime meriti dignitatem aggregassem. In hac sententia complectendus erat mihi Caesar, ut uides, in coniuncta & causa, & dignitate. hic multum ualuit

pro, iram commouerent.

ut a Mario, & Sylla.
ut a decemuiris. L. i. 3.

a Pompeij persona.

praetor oratione habuit pro lege Manilia; consul retulit. de supplicationibus Pompeio decernendis, bello Mithridatico confecto.

Oratio de pro-
uincijs.

Quinctus erat
Caesaris lega-
tus in Gallia.
arguit a Caesa-
ris meritis in
se, & in rep.
in Gallia.

cum in mere-
stituendo rece-
pit, me illi ad-
nervarium non
futurū. oratio
de prouincijs.

ep. 29 l. 10.
quo die cōsula
tus inibat.

quo anno sena-
tus auctoritas
a Caesare im-
minata.

ex praetura. an-
nus designatur
quo Piso, & Ga-
binus consu-
les fuere.

mirifica, incre-
dibilis, singula-
ris, epithetorū
copia.

ualuit cum uetus amicitia, quam tu non ignoras
mibi, & Quinctō fratri cum Caesare fuisse; tum
humanitas eius, ac liberalitas, breui tempore et
litteris, & officijs perspecta nobis, & cognita.
Vehementer etiam res ipsa publica me mouit:
quae mihi uidebatur contentionem, praesertim
maximis rebus a Caesare gēstis, cum illis uiris
nolle fieri, et, ne fieret, uehementer recusare. Gra-
uissime autem me in hanc mentem impulit et Pō-
peij fides, quam de me Caesaris dederat, et fratris
mei, quā Pompeio. Erant praeterea haec animad-
uertenda in ciuitate, quae sunt apud Platonem
nostrum scripta diuinitus. QVALES in rep. prin-
cipes essent, tales reliquos solere esse ciues. Tene-
bā memoria, nobis consulibus ea fundamenta ia-
cta ex Kalendis Ian. confirmandi senatus, ut ne-
minem mirari oporteret, nonis Dec. tantum uel
animi fuisse in illo ordine, uel auctoritatis. I-
demq. memineram, nobis primatis usque ad Caesarem,
& Bibulum cōs. cum sententiae nostrae
magnum in senatu pondus haberent, unum fere
sensum fuisse bonorum omnium. Postea, cum tu
Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres,
neque resp. consules haberet, sed mercatores pro-
uinciarum, & seditionum seruos, ac ministros;
iecit quidam casus caput meum, quasi certa-
minis caussa, in mediam contentionem, dissen-
sionemq. ciuilem. quo in discrimine, cum mi-
rificā senatus, incredibilis Italiae totius, singu-
laris

laris bonorum omnium consensio in me tuendo exstitisset; non dicam, quid acciderit; (multorum est enim, & uaria culpa) tantum dicam breui, non mihi exercitum, sed duces defuisse. in quo, ut iam sit in ijs culpa, qui me non defenderunt; non minor est in ijs, qui reliquerunt. & si accusandi sunt, qui pertimuerunt; magis etiam reprehendendi, qui se timere simularunt. Illud quidem certe nostrum consilium iure laudandum est, quod meos ciues, et a me seruatos, & me seruare cupientes, spoliatos ducibus, seruis armatis obijci noluerim; declarariq. muluerim, quanta uis esse potuisset in consensu bonorum, si ijs pro me stante pugnare licuisset, cum afflictum excitare potuissent. quorum quidem animum tu non perspexisti solum, cum de me ageres, sed etiam confirmasti, atque tenuisti. Qua in causa non modo non negabo, sed etiam semper & meminero, et praedicabo libenter. usus es quibusdam nobilissimis hominibus, fortioribus in me restituendo, quam fuerant idem in tenendo. qua in sententia si constare uoluissent, suam auctoritatem simul cum salute mea recuperassent. recreatis enim bonis uiris consulatu tuo, & constantissimis, atque optimis actionibus tuis excitatis; Cn. Pompeio praesertim ad causam adiuncto, cum etiam Caesar, rebus maximis gestis, singularibus ornatus, & nouis honoribus, ac iudicijs senatus, ad auctoritatem eius ordinis adiungeretur; nulli improbo ciui

locus

Pompeium designat; qui deseruit illum, cum se ei non defuturum promississet.

idem saepe in orationibus.

patria pulsam restituere.

Catonem in primis, & Bibulum significat, Caesaris inimicos. uide infra.

praesertim in me reducendo. supplicatione primu xv. mox xx. dierum Plutarchus, oratio de provincijs, Caesar lib. 1. & 4. de bel. Gal.

locus ad remp. uiolandam esse potuisset. sed attende quaeso, quae sint consecuta. Primum illa furta muliebrum religionum: qui non plaris fecerat Bonam deam, quam tres sorores, impunitatem est eorum sententijs affecutus, qui, cum tribunus pl. poenas a seditioso ciue per bonos uiros iudicio persequi uellet, exemplum praeclarissimum in posterum uindicandae seditionis de rep. sustulerunt: iudemq. postea non meum monumentum, (non enim illae manubiae meae, sed operis locatio mea fuerat, monumentum uero senatus) hostili nomine, & cruentis inustum litteris esse passi sunt. qui me homines quod saluum esse uoluerunt, est mihi gratissimum: sed uellem, non solum salutis meae, quemadmodum medici, sed etiam, ut alyptae, uirium, et coloris rationem habere uoluissent. nunc, ut Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit: sic quidam homines in capite meo solum elaborarunt, reliquum corpus imperfectum, ac rude reliquerunt. in quo ego spem fesselli non modo inuidorum, sed etiam inimicorum meorum: qui de uno acerrimo, et fortissimo uiro, meoq. iudicio, omnium magnitudine animi, & constantia praestantissimo, Q. Metello L.F. quondam falsam opinionem acceperunt: quem post reditum dicitur antefracto animo, & de misso fuisse. est uero probandum, qui & summa uoluntate cesserit, & egregia animi alacritate abfuerit,

a fratre Clodio uiolatas. tribunus Milo accusauit Clodium de ui.

cum Clodium, de ui a Milone accusatum, in iudicium adducti uetuerunt. pro Sextio. uide in oratione pro domo sua.

qui certaturos athletas ungebant. ep. 2. l. 2. Att. l. 3. de off. 2. de Diu. 2. de nat. de, in Verrem, & in Oratore, in prooemio. cum me ab exilio reuocauerunt, quibus satis facter: difficilius.

Numidico, qui abire maluit in exilium, quam in leges Saturni. ni iurare. Val. Max. l. 4. c. 1. & de ur. ill.

fuerit, neque sane redire curarit; eum ob id ipsum fractum fuisse animo, in quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum, singularem uirum, constantia, & grauitate superasset. sed, quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur, de me idem cogitabant, abiectiore animo me futurum: cum resp. maiorem etiam mihi animum, quam umquam habuissem, daret; quae iam declarasset, sese non potuisse me uno ciue carere: cumq. Metellum unius tribuni pl. rogatio, me uniuersa resp. duce senatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus, referente consule, comitijs centuriatis, cunctis ordinibus, hominibusq. incumbentibus, omnibus denique suis uiribus recuperasset. Neque uero ego mihi postea quidquam assumpsi, neque hodie assumo, quod quemquam maleuolentissimum iure possit offendere, tantum enitor, ut neque amicis, neque etiam alienioribus opera, consilio, labore desim. Hic meae uitae cursus offendit eos fortasse, qui splendorem, & speciem huius uitae intuentur, sollicitudinem autem, & laborem perspicere non possunt. Illud uero non obscure queruntur in meis sententijs, quibus ornem Caesarem, quasi descuerim a pristina causa. Ego autem cum illa sequor, quae paullo ante proposui, tum hoc non in postremis, de quo coeperam exponere. non offendes eundem bonorum sensum Lentule, quem reliquisti: qui confirmatus consulatu nostro, non numquam postea interruptus, & afflictus

quē fuisse principem senatus, Cicero pro Rabirio, Sextio, Sallustius in Jug. & Asconius 68 tradit.

quae erant commissa nobilitate, cum ijs maiores magistratus creari soleant.

ne maleuolentissimus quidem, se esse offensus a me, iure dixerit.

quasi Caesari magis, quam reip. studeam, oratio de prouincijs.

consulatu pri-
mum Caesaris,
deinde etiā ma-
gis Pisonis, &
Gabinii, tribu-
no pl. Clodio.

sententia in se
natu, tabella in
iudicis. ep 6.
lib. 2. ad Q. fr.

a Platonis au-
toritate.
in epist. ad Per-
dicam.
Sall. de bello
Iugurthino, in
principio.

is enim antea
me reip. dede-
ram: ut integrū
amplius non ef-
set.

Caesaris in Gal-
lia legatum.

reip. causa.
ipso Lentulo,
& Pompeio.

fluctūs ante te consulem, recreatus abs te totus
est, nunc ab ijs, a quibus tuendus fuerat, dereli-
ctus: idq. non solum fronte, atque uultu, quibus
simulatio facillime sustinetur, ij declarant, qui
tū nostro illo statu optimates nominabantur, sed
etiam sententia saepe iam, tabellaq. docuerunt.
itaque tota iam sapientium ciuium, qualem me
& esse, & numerari uolo, & sententia, & uo-
luntas mutata esse debet. id enim iubet idē ille
Plāto, quem ego auctorem uehementer sequor:
TANTVM contendere in rep. quantum probare
tuis ciuibus possis: uim neque parēnti, neque pa-
triae afferre oportere. atque hanc quidē ille caus-
sam sibi ait non attingendae reip. fuisse, quod, cū
offendisset populum Atheniensem prope iam desi-
pientem senectute; cumq. eum nec persuadendo,
nec cogendo regi posse uidisset; cum persuaderi
posse diffideret, cogi fas esse non arbitraretur.
Mea ratio fuit alia, quod, neque desipiente popu-
lo, nēque integrare mihi ad consulendum capesse-
rem ne reip. implicatus tenebar, sed laetatus ta-
men sum, quod mihi liceret in eadem causa & mi-
hi utilia, & cuiuis bono recta defendere. Huc ac-
cessit commemoranda quaedā et diuina Caesaris
in me, fratremq. meum liberalitas: qui mihi, quas
cumque res gereret, tuendus esset; nunc in tan-
ta felicitate, tantisq. uictorijs, etiam si in nos
non is esset, qui est, tamen ornandus uideretur.
sic enim te existimare uelim; cum a uobis meae
salutis

salutis auctoribus discesserim, neminem esse, cuius officijs me tam esse deuinctum non solum confitear, sed etiam gaudeam. Quod quoniam tibi exposui; facilia sunt ea, quae a me de Vatinio, & de Crasso requiris. Nam de Appio quod scribis, sicut de Caesare, te non reprehendere: gaudeo tibi consilium probari meum. De Vatinio autem, primum reditus intercesserat in gratiam per Pompeium, statim ut ille praetor est factus; cum quidem ego eius petitionem grauissimis in senatu sententijs oppugnassem, neque tam illius laedendi causa quam defendendi, atque ornandi Catonis: post autem Caesaris, ut illum defenderem, mira contentio est consecuta. cur autem laudarim, peto a te, ut id a me ne ue in hoc reo, ne ue in alijs requiras; ne tibi ego idem reponam, cum ueneris; tametsi possum uel absenti. recordare enim, quibus laudatione ex ultimis terris miseris. nec hoc peritaueris. nam a me ipso laudantur, & laudabuntur ijdem. sed tamen defendendi Vatinij fuit etiam ille stimulus, de quo in iudicio, cum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunuchoparasitus suaderet militi.

» Vbi nominabit Phaedriam: tu Pamphilam
 » Continuo. si quando illa dicet, Phaedriam
 » Comissatum intromittamus: tu, Pamphilam
 » Cantatum prouecemus. si laudabit haec
 » Illius formam: tu huius contra. denique
 » Par pro pari referto, quod eam mordeat.

uide ep 12.1.6.

Vatinus i praeturae petitione Catonem superauit. Plutarchus in Caroue Vticensi.

quia Vatinus Caesari consuli tribunus ple in omni re obsecutus est. ep. 1.17.

ex prouincia tua Hispania ulteriore, ultimis imperii R. terminis. de Hispania citeriore re supra, 25.

act. 3. sc. 1.

in quibusdam libris legitur, Parpati; corrupte, si uersum metiaris.

sic

sic petiui a iudicibus, ut, quoniam quidem nobi-
 les homines, & de me optime meriti nimis ama-
 rent inimicum meum, meq. inspectante saepe eum
 in senatu modo seuerè seducerent, modo familiari-
 ter, atque hilare amplexarentur; quoniamq. il-
 li haberent suum Publium, darent mihi ipsi aliū
 Publium, in quo possem eorum animos mediocri-
 ter laceesus leuiter repugnare. neque solum di-
 xi, sed etiam saepe facio, dijs, hominibusq. ap-
 probantibus. Habes de Vatinio: cognosce de Cras-
 so. Ego, cum mihi cum illo magna iam gratia es-
 set; quod eius omnes grauissimas iniurias, com-
 munis concordiae causa, uoluntaria quadam obli-
 uione contriueram; repentinam eius defensionem
 Gabini, quem proximis superioribus diebus acer-
 rime oppugnasset, tamen, si sine ulla mea contu-
 melia suscepisset, tulissem; sed, cum me disputan-
 tem, non laceesentem, laesisset; exarsi, non so-
 lum praesenti, credo, iracundia, (nam ea tam
 uehemens fortasse non fuisset) sed cum inclusum
 illud odiū multarum eius in me iniuriarum,
 quod ego effudisse me omne arbitrabar, residuum
 tamen insciente me fuisset, omne repente appa-
 ruit. Quo quidem tempore ipso quidam homines,
 & iidem illi, quos saepe nutu, significationeq.
 appello, cum se maximum fructum cepisse dice-
 rent ex libertate mea, meq. tum denique sibi esse
 uisum reip. qualis fuisset, restitutum; cumq. ea
 contentio mihi magnum etiam foris fructum tu-
 lisset;

fuerent me de-
 fendere P. Vati-
 nium, cum illi
 tantopere dili-
 gerent P. Clo-
 dium.

odiū meum
 ab illius iniu-
 rijs natum.

eisdem signifi-
 cat supra i hac
 ipsa epist.

uulgo, ut lib.
 2 ad Q. fr. Fo-
 ris plaudatur.

lisset; gaudere se dicebant, & mihi & illum inimicum, & eos, qui in eadem causa essent, numquam amicos futuros. quorum iniqui sermones cum ad me per homines honestissimos perferrentur; cum Pompeius ita contendisset, ut nihil umquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam; Caesarque per litteras maxima se molestia ex illa contentione affectum ostendetet: habui non temporum solum rationem meorum, sed etiam naturae: Crassusque, ut quasi testata populo R. esset nostra gratia, paene a meis laribus in provinciam est profectus. nam cum mihi condixisset, cenavit apud me in mei generi Crassipedis hortis. quamobrem eius causam, quod te scribis audisse, magna illius commendatione susceptam, defendi in senatu, sicut mea fides postulabat. Accepisti, quibus rebus adductus, quamque rem, causamque defenderim; quique meus in rep. sit pro mea parte capeffenda status. de quo sic uelim statuas; me haec eadem sensurum fuisse, si mihi integra omnia, ac libera fuissent. nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes; neque delendum, etiam si id fieri posset, summorum civium principatum; neque permanendum in una sententia, conuersis rebus, ac bonorum uoluntatibus immutatis; sed temporibus assentiendum. NUMQUAM enim praestantibus in rep. gubernanda uiris laudata est in una sententia perpetua permansio. sed ut in nauigando tempestati obsequi artis est, etiam si portum

cū Crassi filij, Marcus quae-
stor, Publius
Caesaris in Gal-
lia legatus es-
set. de bello
Gal.

denunciasset.
Festus.

uide de hac de-
fensione ep. 8.
lib 5.

Crassi, Pompeij,
Caesaris, in
rep. consentien-
tium.
de quibus uide
supra.

tuetur suū con-
siliū a simili.

D tum

tum tenere non queas; cum uero id possis, muta-
 ta uelificatione, assequi, stultum est eum tenere.
 cum periculo cursum, quem ceperis, potius, quã
 ego commutato, quo uelis, tamen peruenire: sic,
 cum omnibus nobis in administranda rep. propo-
 situm esse debeat, id quod a me saepissime dictum
 est, cum dignitate otium; **NON** idem semper di-
 cere, sed idem semper spectare debemus. Quamob-
 rem, ut paullo ante posui, si essent omnia mihi so-
 lutissima; tamen in rep. non alius essem, atque
 nunc sum. cum uero in hunc sensum & alliciar
 beneficijs hominum, & compellar iniurijs; faci-
 le patior ea me de rep. sentire, ac dicere, quae ma-
 xime cum mihi, tum etiam reip. rationibus pu-
 tem conducere. Apertius autem haec ago, ac sae-
 pius, quod & **Quinctus**, frater meus, legatus est
 Caesaris; & nullum meum minimum dictum, non
 modo factum, pro Caesare intercessit, quod ille
 non ita illustri gratia exceperit, ut ego cum mi-
 hi deuinctum putarem. itaque eius omni & gra-
 tia, quae summã est, & opibus, quas intelligis esse
 maximas, sic fruor, ut meis. nec mihi aliter potuis-
 se uideor hominum perditorum de me consilia fran-
 gere, nisi cū praesidijs ijs, quae semper habui, nunc
 etiam potentium beneuolentiam coniunxissem.
 His ego consilijs si te praesentem habuissem; ut opi-
 nio mea ferri, essem usus eisdem. noui enim tempe-
 rantiam, & moderationem naturae tuae: noui
 animum cū mihi amicissimum, tum nulla in cete-

semper bene
sentire, & pa-
triam diligere.

Pompeii, cuius
uoluntati obfir-
stere non pos-
sum.

ep. 7. l. 5. & xi.
lib. 6.

Caes. lib. 5.

apud populū.
ep. 7.

ep. ult. l. 3. ad
Q. fr.

exponit quod
dixerat, mode-
rationem natu-
rae.

ros malevolentia suffusum, cōtraq. cum magnū,
 & excelsum, tum etiam apertum, & simplicem.
 uidi ego quosdam in te tales, quales ut eosdem in
 me uidere potuisti. quae me mouerunt, mouisse
 eadem te profecto. sed, quocumque tempore mihi
 potestas praesentis tui fuerit, tu eris omnium mo-
 derator consiliorum meorum: tibi erit eidem, cui
 salus mea fuit, etiam dignitas curae. me quidem
 certe tuarum actionum, sententiarum, uolunta-
 tum, rerum denique omnium sociūm, comitēmq.
 habebis: neque mihi in omni uita res tā erit ulla
 proposita, quam ut quotidie uehementius, te de
 me optime meritum esse, laetere. Quod rogas, ut
 mea tibi scripta mittam, quae post discessum tuū
 scripserim: sunt orationes quaedam, quas Menō
 crito dabo, neque ita multae, ut pertimescās.
 scripsi etiam, (nam etiam ab orationibus disiu-
 ngo me fere, referoq. ad mansuetiores musas, quae
 me maxime, sicut iam a prima adolescentia dele-
 ctarunt) scripsi igitur Aristotelico more, quē
 admodum quidem uolui, tres libros in disputa-
 tione, ac dialogo, de oratore: quos arbitror Len-
 tulo tuo fore non inutiles: abhorrent enim a cōm-
 munibus praeceptis, & omnem antiquorum &
 Aristotelicam, & Isocraticam rationem orato-
 riam complectuntur. scripsi etiam uersibus tres li-
 bros de temporibus meis: quos iam pridem ad te
 misissem, si esse edendos putassē: sunt enim testes,
 & erunt sempiterni meritorum tuorū erga me,
 D 2 meaeq.

proprie socius
 agentem adiu-
 uat, comes eun-
 tem sequitur.

liberto.

diuturno legen-
 di labore deter-
 ritus.

nescio an sim
 affecutus, uo-
 lui quidē certe

quae uulgo do-
 centur a uena-
 libus magi-
 stris.

de exilio, &
 restitutione.

uidetur subaudiendum, non nisi.

quod ad litteras & studia mea pertinet.

uide ep. 13. l. 9.

quae erat pars Lentuli prouinciae. nam etiam Asiae partem regebat.

oratorij maxime.

ostendit se in suis libris mentionem facturum beneficij a Lentulo accepti.

meaeq. in te pietatis. sed, quia uerebar, non eos, qui se laesos arbitrarentur, (etenim id feci parce, & molliter) sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare. quos tamen ipsos libros, si quem, cui recte committam, inuenero, curabo ad te perferendos. Atque istam quidem partem uitae, consuetudinisq. nostrae totam ad te defero. quantum litteris, quantum studijs, ueteribus nostris delectationibus, consequi poterimus, id omne ad arbitrium tuum, qui haec semper amasti, libentissime conferemus. Quae ad me de tuis rebus domesticis scribis, quaeq. mihi commendas, ea tantae mihi curae sunt, ut me nolim admoneri, rogari uero sine magno dolore uix possim. Quod de Quincti fratris negotio scribis, te priore aestate, quod morbo impeditus in Ciliciam non transieris, conficere non potuisse, nunc autem omnia facturum, ut conficias: id scito esse eiusmodi, ut frater meus uere existimet, ad iuncto isto fundo patrimonium fore suum per te constitutum. Tu me de tuis rebus omnibus, et de Lentuli tui, nostriq. studijs, et exercitationibus uelim quam familiarissime certio rem, et quam saepissime facias; existimesque, neminem cuiquam neque cario rem, neque iucundio rem umquam fuisse, quam te mihi; idque, me, non modo ut tu sentias, sed ut omnes gentes, etiam ut posteritas omnis intelligat, esse facturum. Appius in sermonibus antea dicitabat, postea dixit etiam in senatu palam, se se, si licitum

licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam; si curiata lex non esset, se paraturum cum collega, tibiq. successurum: legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse: se, quoniam ex s. c. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introisset. ego, quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat, nescio: varias esse opiniones intelligo. sunt, qui putant posse te non decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur: sunt etiam, qui, si decedas, a te relinquere posse, qui provinciae praesit. mihi non tam de iure certum est, (quamquam ne id quidem valde dubium est) quam illud, ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, libertatem, qua te scio libentissime solere frui, pertinere, te sine ulla mora provinciam successoribus concedere; praesertim cum sine suspitione tuae cupiditatis non possis illius cupiditatem refutare. ego utrumque puto meum esse; & quod sentiam, ostendere; & quod feceris, defendere.

SCRIPTA iam epistola superiore, accepi tuas litteras de publicanis: quibus aequitatem tuam non potui non probare. felicitate autem, quod vellem, consequi potuisses, ne eius ordinis, quem semper ornasti, rem, aut voluntatem offenderes. equidem non desinam tua decreta defendere: sed nosti consuetudinem hominum: scis, quam graviter inimici illi ipsi Q. Scaeuola fuerint. tibi tamen sum auctor, ut, quibus rebus possis, eum ti-

D 3 hi

lex curiata imperium, & milites dabat rectoribus provinciarum. oratio 2. in Rullum.

ut reliquit ipse Cicero Coelium quaestorem. ep. 15. l. 2. hic non ad largitionem, sed ad quaedam animi uagnitudinem, & grandificandi cupiditatem refertur. ep. 3. lib. 10. & 9. l. 5.

pontifici max. qui summa iustitia Asiam rexit; ut etiam ad honorem eius dies festi, Muciae, sint instituti. Cic. in Verr. Pe lianus, Val lib. vi. 11

bi ordinem aut reconcilies, aut mitiges. id etsi difficile est, tamen mihi uidetur esse prudentiae tuae. Vale.

¶ R. G. Iocosa est epistola, & salibus referta. extra iocum hoc; se egisse gratias Lentulo, Ciliciam administranti; hortatur etiam, ut Romam redeat.

M. Cicero s. d. L. Valerio
iurifconsulto.

10

iocatur, quasi iurifconsultum eum appellaue- rit, non uerita- tis, sed gratiae causa. ep. 1. 1. 3.

uide scholia in extremo lib.

uide ep. x. & 16 l. 7.

iocatur in Vale- ri ignobilitate, quasi a pro- pinquis, & ami- cis esset admo- dum inops.

C. V. R. enim tibi hoc non gratificer, nescio; prae- sertim cum his temporibus, audacia pro sapien- tia liceat uti. Lentulo nostro egi per litteras tuo nomine gratias diligenter. sed tu uelim desinas iam nostris litteris uti, & nos aliquando reuisas, & ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quam istic, ubi solus sapere uideare. quamquã qui istinc nunc ueniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas, partim contumeliosum, quod male respondeas. Sed iam cupio tecum corã iocari. quare fac, ut quamprimum uenias: neque in Apuliam tuam accedas: ut possimus, saluum uenisse, gaudere. nam, illo si ueneris, tamquam Ulysses cognosces tuorum neminem. Vale.

CICERONIS.

CICERONIS EPISTOLARVM

AD CURIONEM, ET ALIOS,

LIBER II.

ARGVMENTVM.

Quattuor partes habet haec epistola, primum, accusatus a Curione quod minus saepe scriberet, excusationem affert cum officij sui commemoratiōe. deinde, dolorem suum ex illius absentia, & ex eiusdem dignitate laetitiam narrat. tertio loco ad laudem, & uirtutem hortatur. postremo, commendat illi suam senectutem. Mittit autem Cicero in Asiam has omnes epistolas ad Curionem quaestorem, praeter ultimam, quae incipit, Sera gratulatio; quam scripsit in provincia Romam ad Curionem tributum pl.

M. Cicero s. d. C. Curioni.

Curio, Scribentiorum cognomen.

VAM QVAM me nomine negligentiae suspectum tibi esse doleo: tamen non tam mihi molestum fuit, accusari abs te officium meum, quam iucundum, requiri; praesertim cum, in quo accusabar, culpa uacarem; in quo autem desiderare te significabas meas litteras, praeterferres suspectum mihi quidem, sed tamen dulcem, & optatum amorem tuum. equidem neminem praetermisi, quem quidem ad te peruenturum putarem, cui litteras non dedissem. etenim quis est tam in scribendo impiger, quam ego? a te uero bis, ter ue ad summum, & eas per breues accepi. quare si iniquus es in me iudex; condemnabo eodem ego te crimine. sin me id facere noles, te mihi aequum praebere debebis. Sed de litteris haecenus. non enim uereor, ne non scribendo te expleam; praesertim si in eo genere studium meum non aspernabere. Ego, te absuisse

excusatio cum beneuolentiae testimonio.

ep. 1. 16.

non dixit diligens, sed impiger; magis ut excuset se, quam ut laudet.

ep. 2. 5.

secunda pars epistolae.

D 4 tam